

1605

A S C E T I C I.

1606

merum CLI. ascendunt, adeoque ejusdem rationis cum Exemplo sunt, quod hoc *Vol.* e Codice *Dorotheano* dedi, ut *Index* commonstrat.

DCLXXXIII.

U. 103 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 398. 4. min. currente calamo non ab uno perscriptus frequentem exhibet farraginem: I. Excerpta moralia e *Petro Damiani*, *Simone de Cassia*, *Jobannis Sarisberienf. Policratico*, *Job. Balbi Catholico* &c. Nota omnia et improbe chartae adlita.

II. fol. 35. Lectura in *Esdras* et *Nehemiam* sequitur absque titulo cum Praefat. *Hieronymi* ad *Domnionem* et *Rogatianum*; habetur tamen ita ad calcem: *Finita sunt haec et extracta de lectura Magistri Stephani Stockarner felicitis memorie Anno domini 1437. feria 5ta post Elyfabeth D. Per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia.* Suspicio Interpretem nostrum latere in *Locheri Speculo Acad.* sub *M. Stephano Marquardo* (Markhart?) de *Stockerau* prave scripto, qui ad an. 1421. Scholas ad *S. Stephanum* rexit et Decanus Facult. Philosoph. fuit, Lecturamque suam praecipue e *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* congeffit. *Stockbarn*, *Stochern* et nobilis olim Stirpis fuit, et hodie loci nomen est in *Austria*. Exceptor noster *Wolfgangus* ex Oppido *Stein* a. 1443. Philosophis Decanus praefuit.

III. fol. 123. Lecturae similes in *Epistolam Jacobi* et utramque *Petri* ab eadem manu.

IV. fol. 177. Incipit prologus in *Tractatum de Spirituali vita anime Magistri Jobannis Gerson Cancellarij parisiensis* qui alias vocatur *Tractatus Sex lectionum satis utilium*. Prologus hic dirigitur ad *Petrum de Alliaco* Ep. jam *Cameracensem*, cujus se *discipulum* adpellat Noster. Opus ipsum infit: *Ego uos baptisavi aqua &c. Antiqua iam atque notissima patrum erudicione &c.* et extat editionis *Amstelod. dictae Antverpiensis* T. III. P. I. col. 2. 1706. f. Adjecit in fine Scriptor: *Finitus est hic tractatus — per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia anno Domini 1438^{mo}. in die beati vigiliij et sociorum eius, que fuit 6^a feria ante purificationem beate Marie virginis, in quo quidem die narrabatur a dicentibus a Domino Andrea (fors de Weytra Theologo Vien.) quod die octava Januarij declaravit Dominus Eugenius diuina prouidentia papa 4^{ta} Concilium esse in Ferraria debere, eodemque die celebrata est, ut referebatur, prima sessio in eodem Concilio persistente tunc Concilio Basiliensi. timebatur scisma. Item 18^{ta} Januarij translata est Curia Romana in Ferrariam, ut tunc dicebatur, regnante in Hungaria serenissimo Rege Alberto electo rege bohemie nec non duce Austrie Stirie &c. Marchioneque Morauie.*

H h 3

V.

V. fol. 249. ut e calce adsumo: *Tractatus de pluralitate beneficiorum Domini Wilhelmi Parisiensis*. Initium: *Umbram vehemoth sicut scriptum est Job XL° umbrae protegent.* — *Umbra ista est detentio suae occupatio iniqua beneficiorum suae reddituum ecclesiasticorum &c.* Inter tot *Wilhelmos, Guillelmos, Guilbermos, Guillerinos* praefens noster *Arvernus* est, ab a. 1228. ad 1249. Antistes *Parisinus* Scriptis clarus, quae mature prelo subjecta extant. *Tractatus* nostri, qui alias *de collatione et pluralitate beneficiorum* inscribitur, memoratur apud *Fabric. Bibl. med. Lat. L. VII.* editio *Parif. 1490. 4.* Mihi adjacet *Knoblouchiana Argent. 1507. 4.* quam curavit ἐὺζήλος noster *Jac. Wimphelingius*, unde suspectam habeo ejusdem *Officinae* editionem 1500. 8. citatam in *Biblioth. Heilsbron. Hockeri*. Mea praeter *Tractatum de Beneficiis* nihil *Guilelmi* continet, unde lapsus est *Hambergerus* fide *Fabricii* eam uberiolem putando, lapsus item *Barth. Ferronius*, qui in edit. *Aurelian. 1674. f. primum* se *Opusculi* nostri promulgatorem credidit. Codex in calce habet: *Finitus per M. Wolfgangum de Stain sacre theologie baccalarium. Anno Domini 1438° in die sancti Wilibaldi que fuit feria 2° in profesto Kyliani.*

VI. fol. 273. Prolusio scholastica *de laudibus Theologiae* in *Expositionem Libri Esdrae*, cujus N. II. memini. *Inpresenciarum constitutus*, infit *Orator*, opusque ar-

duum vires superans attemptaturus &c. Nubes et inania captat. Ad calcem: *Feria 2° post Nativitatem b. v. Anno 37°.*

VII. fol. 285. *Geneseos* et *Exodi* *Cursoria* *Expositio*, cujus *Autor Nicolao de Lira* se uti profitetur, hiatuque majore, quam praecedens, inchoat: *Omnis fontana boni, stelliferi conditor orbis tantillo propiciatus assis &c.* Ad calcem: *Finitum in die christophori feria 4.*

VIII. fol. 321. *Opusculum Magistri Johannis de Gersona Cancellarij Parisiensis Super Cantica canticorum ad Kartbusienses secundum triplicem amorem. Distinctum per decem simpulmata secundum partitiones atque considerationes eorundem secundum novum modum. Et est opus multum subtile et altum valens pro devotis contemplantibus.* Initium: *Anno te facer ordo kartusiensis &c.* ut edit. *supracit. T. IV. col. 27.* Ad calcem iterum diligens *Scriptor* noster: *Finitus est tractatus hic — Anno domini M° CCCC° 39° feria 2° post Letare per Magistrum Wolfgangum de Stain &c.*

IX. fol. 368. p. 2. CLXXX. *epistole Augustini*. Index *Personarum*, ad quas datae, cum brevissimis *Argumentis*.

X. fol. 373. ἀδελφότητος *Job. Gersonis* *Opusculum tripartitum de Praeceptis, de Confessione, de Scientia Mortis*, quod incipit: *Christianitati suus qualiscunque zelator &c.* et habetur edit. *supracit. T. I. P. III. col. 427.*

XI. fol. 392. Index Operum magni hujus Viri, verum ob folii unius jacturam ἀκεφαλός, et nunc inchoans: *Item 29^{no} Determinatio questionis An liceat a papa appellare. Et articuli theologie compositi contra petrum de luna, cuius initium: Queritur an hec assertio sit Katholica.* Ita proceditur ad num. 55. et concluditur: *Et tantum de libris latinis. Secuntur acta per eundem in gallico ydionate.* Hic rursus 13. recensentur, et subditur: *Item 14^o Multa alia breuia sunt eius opuscula super diuersis materijs causa breuitatis hic obmissa que tanquam fragmenta ne pereant recollecta et in vno volumine velud in sporta recondita magnum et gratum prebent legentibus profectus solacium. Vltimum Opus quod morte propinquante peregit est Tractatus egregius et subtilis super cantica canticorum (supra N. VIII.) ad fratres karthusienses.* Addit Librarius: *In profesto Nicolai (anno 14) 36^o.* Itaque anno 7. post excessum illustri Exulis et Peregrini, qui Factionem Angloburgundicam fugiens etiam Viennam nostram delatus benigne et humaniter habitus est. Ceterum Catalogum hunc Scriptorum ejus antiquissimum putem, quo tamen uberiorem postea dedit Tritheimius.

XII. fol. 393. p. 2. Codici finem imponunt Adversaria quaedam theologica levis momenti, et improbe conscribilla.

DCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. H. 4 XV. Folior. 194. 4. maj. caractere luculento, atro perscriptus, literis initiorum deauratis, picturatis, titulisque miniatis speciosus praemisso IV. Librorum Elencho eodem, quem nunc typis expressum habemus, inscribitur: *Incipit liber primus fratris thome de kempis canonici regularis ordinis sancti augustini. De imitatione Cristi et de contemptu omnium vanitatum mundi.* Textus per omnes IV. Libros conformis est antiquis Editionibus, nec agnoscit illas, si Superis placet, emendationes, quas e Parisina a. 1773. 12. longo ordine produxit Fr. Joseph. Debillionus ad calcem sui Thomae, Manheimii 1780. 8. Singulis Libris praefixa est elegans Pictura, quarum ea, quae Librum I. antecedit, Thomam insuper habitu, quem Canonici Reg. magnam partem domi deferre solebant, albo scriptioni incumbentem repraesentat. Ad calcem habes: *Fratris thome de kempis de imitatione cristi deque contemptu mundi deuotum et vtile opusculum finit feliciter.*

II. fol. 184. *Incipit tractatus de meditatione cordis magistri iohannis gerson.* Tractatulus hic saepe Thomae adjunctus extat Opp. Gersonis Edit. dictae Antverp. T. III. P. 2. col. 449. Ad Gersonem pertinere vel illud evincit, quod c. ult. legitur: *Scripti iam pluries talia — nominatim in tractatulo de Probatione Spirituum.*

Ut